Leo Allatius de libris Ecclesiasticis Graecorum diss. 1. p. 53. Edit. Paris. in 4t. 1681.

Sextus erit ψαλτήριον. --- Dicitur etiam ψαλτήρ. Alexius Aristenus in Can. 2. Concil. Niceni secundi: Τὸν μέλλοντα εἰς τὸν τῆς ἐπισκοπῆς προάγεσθαι βαθμὸν, δεῖ πάντως τὸν ψαλτῆρα γινώσκειν καὶ ἑρμηνεύειν αὐτόν. Promovendus in Episcopum omnino scire debet Psalterium illudq. interpretari. Nullus alius sive in Missis, sive in Matutinis precibus, sive in alijs divinis officijs eo frequentior est, tanquam qui semper prae manibus sit, licet ob assiduam illius recitationem ex memoria fere omnia dicantur. Suntq. meri Psalmi Davidici, non alterato ordine, sed uti in sacris Biblijs jacent, in certas tamen classes plures vel pauciores Psalmos, pro Psalmorum longitudine, continentes distincti. Sectiones Graeci καθίσματα vocant, quasi diceres, Sessiones. Et viginti tantummodo numerant, ut Psalmi dispensantur, expressit Meursius in Glossario. Cathismata singula in tres partes subdividunt per hymnum illum, Gloria Patri et Filio &c. terminant, aliter ac fit in Ecclesia Latina, quae eundem hymnum post omnes Psalmos recitat.